

Wien, Österreichische Nationalbibliothek (ÖNB), Cod. 877

Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II. Wien 1794.

2361

A S C E T I C I.

2362

bardi Libros Sententiar. Initium: Cupientes &c. Magister huic operi premittit quendam prologum in quo volens inducere auditores et lectores ad amorem huius operis &c. Adhaerent alia Adversaria et Quaesita Theologica, quae omnia cum Sermonibus recensitis ad Academiam

Viennensem pertinere, dubium non est.

DCXVII.

Codex chartaceus lat. Sec. 279
XV. Folior. 76. f. inscribitur:
Magister alanus de planctu nature.
Initium est:

In lacrimas risus in luctus gaudia uerto &c.

Finis: *mystice aparicionis derelinquit aspectus. Amen Anno Domini 1441 feria II ante praxedis virginis Explicit liber venerabilissimi Magistri Alani De planctu nature. Vide, si placet, quae de isthoc Opere ad Cod. CCCXXIX. diximus, a quo praesens differt primo, quod passim notulis cum intra lineas, tum in margine adspersus sit, dein, quod Rhythmos in fine nullos adjunctos habeat.*

scriptus, rubricis distinctus, olimque, ut *fol. ult.* minio notatur: *Liber Ecclesie Campensis prope Berckam* hunc praefert titulum: *In nomine domini. Incipit libellus de fuga uiciorum.* Librum dicas potius; est enim Poema didacticum elegiacum multis versuum millibus constans, multisque, quae aevi illius feruntur, Poematibus nulla ratione inferioris, etsi, quod sciam, nemini adhuc memoratum. Cui dicatum fit, praevia docet Elegia in hunc modum:

DCXVIII.

756 Codex membraneus lat. Sec.
XIV. Folior. 148. 8. probe

*Ecclesie speculum pastor uenerande philippe.
Gemma sacerdotum. presul aquensis aue.
Pontificum forma. uia pacis. semita morum.
Regula iusticie. clara lucerna gregis.
Presidium cleri. miseris pietatis asilum
Cultor honestatis ductor ouilis aue.
Suscipe transmissum presul metuende libellum.
Nec moueant animum uerbula macra tuum.
Perlege metra petri manantia paupere uena.
Pauper ei fons est. pauperiorque lacus. &c.*

D d d d 2

Tum

2363

C O D I C E S

2364

Tum post plura ejusmodi, Deique invocationem:

*Et cum de vitiis tractet liber iste fugandis.
Hinc fuga peccati pretitulatus erit.*

Dicatur igitur Opus *Philippo Aquarum Sext.* in *Gallia* Archiepiscopo, qui, ut docet *Gallia Christ. T. I. col. 315.* saltem ab a. 1251. ad a. mortis 1256. sedem tenuit. Quare Poema inter hos annos concinnatum fuerit. Quid vero de Autore *Petro* statuas, ignoro, nisi quod Clericum ejusdem fortasse Dioeceseos fuisse adparet. Nemo enim *Petrorum*, qui Versibus operam dedere, praedictis annis convenit. Inclinar quidem in *Petrum de Riga* five *Rhemensem*, cujus *Auroram* multis Codicibus retuli, siquidem is annum 1263. ultimum vitae habuisset, ut *Altamura* in *Bibl. Dom.* et ex eo *Fabricius* in *not. ad Scriptt. eccl. Trithemii n. 388.* dixit; verum lapsum coarguunt *Altamura Quetifus* et *Echardus* in *Scriptt. O. Praed. T. I. p. 117.*

qui *Petrum Rhemensis* ordinis sui cum *Petro de Riga* confuderit, annumque hujus emortualem 1209. e *Chronico Alberici et Bulaei Hist. Univ. Paris.* statuit idem *Fabricius* in *Bibl. med. Lat. L. XV. p. 277.* Res itaque iudicio in *Galliae* Historia lit. magis versatorum tantisper relinquenda. Tractat porro Poema de sic dictis Vitiis Capitalibus: *Gula, Luxuria, Avaritia, Acedia, Superbia, Invidia* et *Ira*, ita, ut *Avaritia* et *Superbia* maximam faciant paginam, neque id generatim modo, sed omnes earum propagines noxias investigat, non miti manu resecat, opportunaque adponit remedia, quae omnia suis rubricis distinguuntur. Ad cognoscendos certe illius aevi mores non parum facit. Initium est ejusmodi:

*Vita brevis. via difficilis. mundique ruina.
Atque dies mortis: te uigilare monent.
Peruigil excubitor uentura pericula cernit
Ne fur uel raptor fallere possit eum. &c.*

Sub rubrica: *De edificantibus syon in sanguinibus. f. 40.* haec legas:

*Accidit interdum quod tres prelatus habebit
Quos ad sublimes promovet ipse gradus
Prepositus frater consanguineusque sacrista
Dilectusque nepos archidecanus erit. —
Huic presul confert animarum millia quinque
Cui uix auderet credere poma decem. &c.*

Sub

2365

A S C E T I C I.

2366

Sub rubrica: *De signis auaricie: f. 42. p. 2.*

*Vnica persona similis cupit esse tonanti
Tres personatus appropriando sibi.
Massilie cantor narbone preposituram
Impetrat inde cupit esse decanus aquis &c.*

Sub rubrica: *De tarda confessione. f. 64. p. 2.*

*Denique sunt plures quorum Confessio tardat
Donec paschalis uenerit alma dies.
Ordo quidem talis preposterus esse uidetur
Ultima cauda preit subsequiturque caput.
Si prius abstineas post crimina confitearis
Currus in hoc facto ducitur, anne boues? &c.*

Ex ungue leonem. Epilogus totius Poematis infit et definit:

*Vsque modo rabiem uitiorum barbariemque
Scripsimus ut fugiat quisque fidelis ea &c. —
Gloria lausque patri. sit nato. spirituique.
Vnicus et trimus sit benedictus. Amen.*

Tum literis crispis:

Hic Liber Est Scriptus Qui Scripsit Sit Benedictus. Amen.

et Index praecipuorum Capitulorum Operis. Adiecti sunt alia manu Verficuli quidam, ut hi de Amore:

*Dicam quid sit amor. amor est insania mentis,
Ardor inextinctus. insatiata fames.
Dulce malum. mala dulcedo. dulcissimus error.
Absque labore quies. absque quiete labor.*

DCXIX.

686 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 131. 4. currente calamo a diversis exaratus et olim Fratrum sancte Crucis Canonicorum Regular. Coloniae, con-

tinet: I. Verficulos illos, qui Poenitentiaris inscribi solent, extantque jam Sec. XV. imprefsi f. l. et a. 4. item cum Versione boh. et germ. Norimb. per Hier. Hölzel 1518. 4. Initium est:

D d d d 3

Peni-